FLORA.

65. Jahrgang.

No. 29. Regensburg, 11. Oktober 1882.

Inhalt. W. Nylander: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam. — P. Gabriel Strobl: Flora der Nebroden. — C. Warnstorf: Einige neue *Sphagnum*formen. — H. G. Reichenbach: *Phalaenopsis Sanderiana* nov. spec. — Personalnachricht.

Addenda nova ad Lichenographiam europaeam.

Continuatio nona et tricesima. — Exponit W. Nylander.

1. *Calicium stenocyboides* Nyl.

Thallus obscurus, vix visibilis; apothecia nigra gracilenta (altit. 1,5 millim. vel breviora), capitulo angustato suboblongo, mazedio fusconigro protruso fere capitulo angustiore; sporae fuscae globulosae vel breviter ellipsoideae (diametris 0,003—4 millim.).

Super corticem *Pini pumilionis* ad Aibling in Bavaria superiore (Arnold).

Species optima, notis datis facile dignoscenda. Stipes apothecii crassit. fere 0,1 millim.; capitulum crassit. circiter 0,2 millim. (longit. 0,5—0,6 millim.). Massa sporalis (mazedium) basi subconstricta.

2. *Parmelia dissecta* Nyl.

Jam in Syn. p. 384 eam indicavi sicut formam „minorem et tenuiorem dissectam“ *Parmeliae laevigatae.* Differt simul thallo isidiophoro. Sed sterilis modo visa.

In Gallia et Hibernia super saxa.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03642-0453-4

Facile propria species, ita enim est constans et satis frequenter visa saltem in Gallia. — Subsimilis ei species et reactione K (CaCl) medullae erythrinica conveniens occurrit in Malacca *(P. subdissecta)*, sed thallo adnato brevius rhizinoso (ibi sterilis super caudices Cocoës et fertilis e Cayenne corticola ex Lepr. Guyan. no. 504, sporis longit. 0,006—7 millim., crassit. 0,0035 millim.). Rhizinis brevibus haec *(P. subdissecta)* accedit ad *P. subsinuosam* Nyl.

3. *Lecanora decincta* Nyl.

Thallus umbrinus laevigatus tenuis (crassit. circiter 0,2 millim.), rimulosus, passim ambitu cinerascens; apothecia atra opaca plana (latit. 0,5 millim.), margine thallino non prominulo cincta, intus subincoloria vel fuscescentia; sporae 8nae ellipsoideae simplices, longit. 0,010—14 millim., crassit. 0,006—8 millim., paraphyses discretae fere mediocres apicem versus incrassatae et parte incrassata fusca. Iodo gelatina hymenialis dilute coerulescens, dein fulvescens (thecae tum praesertim tinctae).

In Anglia ad Red Scues (J. A. Martindale) super saxa schistoidea.

Arcte accedit ad *Lecanoram intercinctam* Nyl. in Flora 1881, p. 531, et videatur fere ejusdem speciei, sed apothecia nonnihil alia margine thallino non albicante, et sporae longiores. Spermatia breviter ellipsoidea, longit. 0,0025—35 millim., crassit. 0,0015 millim.

4. *Lecanora anoptizodes* Nyl.

Thallus obscure cinerascens tenuissimus (subleprosus), subevanescens; apothecia lurido-fusca (latit. 0,25 millim.), subbiatorina, juniora margine pallescente; sporae 8nae ellipsoideae vel oblongae, longit. 0,007—0,011 millim., crassit. 0,0035—45 millim., epithecium fuscum, paraphyses non discretae. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvescens.

Super lignum vetustum pini ad Heidelberg (v. Zwackh).

Affinis *Lecanorae anoptae* et *subintricatae*, sed magis adhuc accedens ad *L. anoptizam* Nyl. in Flora 1881, p. 531, a qua mox differt sporis minus crassis et spermatiis brevioribus (longit. 0,008—0,012 millim., crassit. 0,0005 millim.; in *L. anopta* spermatia sunt longit. 0,006—7 millim., crassit. fere 0,001 millim. et minus arcuata). Gonidia in hypothecio instrata.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03642-0454-0

5. *Lecidea meiocarpoides* Nyl.

Thallus albidus tenuis subleprosus; apothecia testaceo-rufa vel testaceo-fuscescentia, convexa minuta (latit. circiter 0,25 millim.); sporae 8nae oviformes, longit. 0,007—8 millim., crassit. fere 0,0035 millim., epithecium incolor, paraphyses non distinctae (vel vix ullae), hypothecium subflavescens. Iodo gelatina hymenialis vinose rubescens, praecedente coerulescentia obsoleta.

Supra saxa silicea sylvarum ad Zug in Helvetia (Hegetschweiler).

Sumi possit pro *L. meiocarpa* Nyl. in Flora 1876, p. 577 (Hepp Flecht. 487), sed mox distinguitur sporis brevioribus. Hae interdum spurie 1-septatae.

6. *Lecidea prasinorufa* Nyl.

Thallus cinereo-virens tenuis continuus, sorediis virescentibus rotundatis (latit. circiter 0,5 millim.), planiusculis conspersus aut iisdem passim confluentibus; apothecia obscure rufa plana adnata (latit. 1 millim. vel minora), immarginata, intus pallida; sporae 8nae ellipsoideae simplices, longit. 0,009—0,010 millim., crassit. 0,004 millim., paraphyses graciles, epithecium et hypothecium incoloria. Iodo gelatina hymenialis vinose fulvescens (praecedente coerulescentia subobsoleta).

Supra terram in sylva Montis Albi in Helvetia (Hegetschweiler).

Subspecies esse possit *Lecideae gelatinosae* Flk., differens vix aliter quam sorediis et colore apotheciorum.

7. *Lecidea subocelliformis* Nyl.

Thallus virescens tenuis rugulosus indeterminatus; apothecia livida vel livido-pallescentia, margine pallido obtuso demum excluso, planiuscula aut tandem convexa (latit. 0,5—0,8 millim.), intus parte hymeniali obscura; sporae 8nae incolores ellipsoideo-oblongae, longit. 0,008—0,013 millim., crassit. 0,0025—35 millim., epithecium incolor, paraphyses non bene discretae, hypothecium supra (basi hymenii) obsolete obscuratum. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein subincolor et thecae fulvescentes.

Supra corticem abietis in Hungaria prope Teplicska (Lojka in Zw. L. no. 681).

Comparanda cum *L. ocelliformi* Nyl. in Flora 1865, p. 145 (ad Eichstaett quoque lecta a cl. Arnold et missa 1864 ab eo. nominata *B. byssacea* Zw.), quae differt thallo albido, hypothe-

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03642-0455-6

cio tenuiore et supra cum parte thalamii subsordide coerulescente (inde hae partes plus minusve coerulescentes Acido nitrico roselle tinctae, quod non obvenit in *L. subocelliformi*). Variant sporae aliquando spurie 1-septatae.

8. Lecidea periplaca Nyl.

Thallus cinereo-nigrescens tenuis vel tenuissimus sublaevigatus, tenuiter areolato-rimulosus, ambitu subbyssoidee applanato-placodizans; apothecia nigra (latit. 0,5—07 millim.) marginatula, demum convexula, intus pallida; sporae 8nae ellipsoideae (utroque apice obtusae), longit. 0,009—0,010 millim., crassit. 0,006 millim., epithecium et perithecium fusca, paraphyses submediocres, thalamium leviter lutescenti-fuscescens, hypothecium incolor. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein lutescens et thecae vinose rubescentes.

Supra murorum lapides ad Staveley in Anglia (Martindale).

Species videtur e stirpe *Lecideae tenebrosae*, cui thallo accedit, sed ambitu ejus differt ut etiam aliis notis. Spermatia oblonga, longit. 0,0035—45 millim., crassit. 0,001 millim. Ambitus summus thalli tenuissime vel subobsolete albido-limbatus.

9. Lecidea tenebrica Nyl.

Thallus tenebrose cinerascens inaequalis areolato-rimosus, sat tenuis, subdeterminatus; apothecia nigra convexa (latit. circiter 1 millim.), intus albida; sporae 8nae ellipsoideae simplices, longit. 0,010—11 millim., crassit. 0,005—6 millim., paraphyses non bene discretae, epithecium et stratum inferum hypothecii fusca. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein fulvo-lutescens.

Supra saxa schistoidea in Anglia, Red Scues (Martindale).

Facio quasi *Lecideae tenebrosae*, sed forsan ne quidem ejusdem stirpis; tum potius in stirpe *L. rivulosae* disponenda. Apothecia immarginata vel juniora margine obsoleto. Spermatia vidi bacilliformia recta, longit 0,0035 millim., crassit. 0,0007 millim.

10. Lecideae coriacella Nyl.

Thallus obscure cinereus sublaevigatus coriaceo-insculptellus, sat tenuis, sed crassitiei variabilis (passim 1 millim., sed vulgo solum 0,5 millim.); apothecia nigricantia opaca innata (latit. circiter 0,5 millim.), immarginata, intus pallida; sporae 8nae

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03642-0456-2

ellipsoideae simplices, longit. 0,010—12 millim., crassit. 0,006 millim., epithecium fuscum, paraphyses mediocres, hypothecium incolor. Iodo gelatina hymenialis lutescens, thecae vinose fulvescentes (praecedente coerulescentia obsoleta).

Supra saxa porphyrea in Anglia. Red Scues (Martindale).

Species e stirpe *Lecideae rivulosae* bene distincta jam thallo coriacello.

11. Verrucaria planatula Nyl.

Thallus macula murina indicatus; apothecia lecideoidea, non prominula, pyrenio deplanato dimidiatim nigro (latit. 0,3—0,5 millim.); sporae 8nae incolores oviformi-oblongae 1-septatae, longit. 0,017—22 millim., crassit. circiter 0,007 millim. Iodo gelatina hymenialis vinose rubescens.

Supra saxum calcareum ad Lourdes in Gallia subpyrenaea (Lamy).

Species e stirpe *Verrucariae pyrenophorae*, sporis vero fere ut in stirpe *V. epidermidis*.

Observationes.

1. Euopsis pulvinata (*Lecidea pulvinata* Schaer. in Naturw. Anz. 1816, p. 11, et Enum. p. 101). Thallus rufescens tenuissimus subgranulosus; apothecia sanguineo-rufula minuta subconvexa (latit. circiter 0,25 millim.), extus margine (perithecio) obsolete pallescente; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,009—0,010 millim., crassit. 0,005 millim., paraphyses crassae articulatae (crassit. 0,003—4 millim), in gelatina thalamii inglutinatae (non liberae). — Supra alios Lichenes prope moles glaciales in alpibus helveticis (ex hb. Schaer.). — Species minuta peculiaris, ab *E. haemalea* (Smrf.), ad quam facie accedit, variis notis divergens, praesertimque sporis minoribus. Sunt hae caeteroquin in *E. pulvinata* spurie uniseptatae; thecae pyriformes pariete apice incrassato; thalamium supra amorphum. Iodo gelatina hymenialis dilute coerulescens. — Sporae similiter spurie 1-septatae in *Pyrenopsi haemaleella* Nyl. (e Finlandia boreali, Iitti Jaala misit Silén), quae obscure fusca, thallo tenuissimo subgranulato inaequali; apotheciis rufescentibus (latit. 0,2 millim.), lecanorellis; sporis longit. 0,009—0,011 millim., crassit. 0,006—7 millim., paraphysibus non bene discretis. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvescens.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03642-0457-7

2. *Collema intestiniforme* Schaer. Enum. p. 258. Thallus obscure glaucescens vel glaucescenti-virescens vel virescenti-nigrescens, firmus, varie laciniatus, superficie praesertim infra conferte sensu potissime longitudinali laciniarum (in sicco) costatulo-rugulosus, textura omnino collematea vulgari. Apothecia non visa in specimine neocomiensi examinato. Peculiaris, rugositate jam stephanophoroidea thalli distinguenda. Thallus in sicco statu crassit. 0,25 millim. Sit forsan tamen hoc *Collema* varietas *Collematis tenacis* Ach., cui eadem rugositas interdum observatur.

3. *Lecidea terrigena* Ach., Nyl. Prodr. Scand. p. 212, fere *Collemopsis* vel satius proprii generis. Thallum modo parum evolutum vidi ejus speciei, quam nuper reduvenit in Helvetia D. Hegetschweiler. Dicatur genus *Aphanopsis*.

4. *Cladonia furcata* f. *recurvescens*, nova est distincta thallo podetiis apicibus saepe incurvis et pro parte sorediosis. Vidi e Friedrichsfeld haud procul a Heidelberg (v. Zwackh). — Ibidem idem invenit *Cladoniam decorticam* f. *praestantissimam* podetiis altit. circiter 3 centimetr., sursum crassioribus (et ibi crassit. 2—5 millim.).

5. *Physcia tenella* f. *subbreviata*, thallo brevius laciniato, laciniis vix fornicatis et parum rhizinosis, magis sorediosis. Super corticem variarum arborum in Finlandia, Hollola (Norrlin).

6. *Lecanora prosechoides* f. *sublutior* differt apotheciis subfusco-pallescentibus. Ad Helsingfors (Norrlin).

7. *Lecidea leprosa* Schaer. in Naturw. Anz. 1818, p. 10, Enum. p. 126. Thallus albus, tenuiter leprosus, laevis vel sublaevis; apothecia nigricantia vel obscure rufescentia, demum subconvexula, immarginata (latit. fere 0,3 millim.); sporae 8nae fusiformes 3—5-septatae, longit 0,018—23 millim., crassit. 0,004—5 millim., paraphyses gracilescentes instipatae in thalamio gelatineo firmo, epithecium incolor amorphum, lamina tenuis apothecii lutescens. Iodo thecae bene coerulescentes, dein fulvescentes. — Arenicola prope Cheire in Helvetia (Schaerer). — Species distincta in stirpe *Lecideae sphaeroidis*. Thallus (intus cretaceo-albus) crassit. circiter 0,5 millim. reagentiis meis non mutatus.

8. *Lecidea tantilla* Nyl. (*B. pinicola* Mass.) * *castaneti*. Differt praecipue apotheciis obscuris et lamina tenui lutescentibus. Supra lignum castaneum vetustum ad Heidelberg (v. Zwackh).

9. *Patellaria dryina* Dub. Bot. Gall. p. 650 „super corticem crassum aceris“ pertinet ad *Arthoniam tenellulam* Nyl. athallinam.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03642-0458-3

10. Lecidea chloroscotina Nyl. in Flora 1877, p. 565, variat thallo passim rhagadiose rimoso, super lapides rivales ad Kentmere (Martindale). Sporae typice uni-septatae.

11. Propter homonymon, jam antea obveniens ,*L. candidula* Nyl. in Flora 1880, p. 180, dicatur: *L. candidella.*

12. Ad *Lecideam conterminam* (Arn.) pertinet *B. lactea* var. *atrocinerea* Anzi Anal. no. 42. Thallus K— vel vix lutescens, I medulla reagens. Paraphyses apice obscure coerulescentes (inde Acido nitrico ibi rosello-tinctae). Sporae longit. 0,007—0,011 millim., crassit. 0,005—6 millim. Hypothecium medio, saltem inferius, dilute rufescens. Iodo gelatina hymenialis vinose fulvo-rubescens.

13. Lecidea percontigua Nyl. est quasi *L. contigua* thallo subgranulato-inaequali K flavente et dein plus minusve distincte ferrugineo-rubente. — In Gallia ad Pictaviam (Weddell), in Anglia ad Whitehaven (W. Johnson).

14. In *Lecidea Helsingforsiensi* Nyl. spermatia recta, longit. 0,008—0,011 millim., crassit. 0,0007 millim.

15. Memoretur hic, verisimiliter in terris arcticis europaeis invenienda, lecta in Insula Laurentii Freti Behringii (Expedit. Vega) *Lecidea paraphanella.* Thallus ei albidus tenuissimus subgranulatus; apothecia nigra minuta (latit. 0,1—0,2 millim.) convexiuscula immarginata, intus obscura; sporae 8nae incolores oblongae simplices, longit. 0,008—0,011 millim., crassit. 0,003 millim., paraphyses non discretae, epithecium et thalamium coerulescentia, hypothecium subincolor strato supero leviter nigrescente. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvescens. — Graniticola, affinis *Lecideae paraphanae* Nyl., quae major et hypothecio stratis binis (supero et infero) nigrescentibus.

16. Tribus *Peltigerei* necessario dividenda est 1° in subtribum gonidicam *Peltideos* et 2° subtribum gonimicam *Peltigerineos. Peltidei* complectuntur genera *Nephroma* et *Peltideam; Peltigerinei* genera *Nephromium, Peltigeram* et *Solorinam.*

17. Apotheciis lecanorinis apud haud paucos Lichenes non distinctis vel non distinguendis ab apotheciis lecideinis, parum convenit tamquam proprias Tribus sejungere Lecanoreos a Lecideis; hocce jam diu in scriptis meis animadverti, nam adsunt haud raro apothecia, de quibus aegre judicatur, anne lecanorina sint aut biatorina, et alibi apothecia biatorina normaliter occurrunt apud certas species, quae evidenter affinitate omni accedunt ad alias verissime lecanorinas evidenterque ad idem genus

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03642-0459-2

pertinent. Ita haec distinctio praecipua in apotheciis posita fallax invenitur et vetat, ne merito separentur sicut tribus Lecideei a Lecanoreis. In unam ambabus junctis proponerem nomen: *Lecano-Lecideei*. Ei tribui adscribendae essent subtribus 6 sequentes, silicet: Subtrib. 1 *Pannariei* (generibus *Coccocarpia*, *Pannaria*, *Pannularia* Nyl. in Flora 1879, p. 360); Subtrib. 2 *Heppiei* (vid. Nyl. in Flora 1878, p. 339); Subtrib. 3 *Lecanorei*; Subtrib. 4 *Pertusariei*; Subtrib. 5 *Thelotremei*; Subtrib. 6 *Lecideei*. Vastissima sic constituitur Tribus, longe plures Lichenes amplectens quam ulla alia. — Occasione data mentio hic inseratur de sententia saepe enuntiata, genera ampla, species numerosissimas continentia dilaceranda esse et in genera plura dispescenda. Objicere convenit tali modo videndi superficiali, nullum fingendum esse numerum terminum specierum generis, ita ut edici possit numerus, quem generi cuivis transgredi illicitum censeatur atque praecipue in honore habendum esse naturalem seriem specierum, quae ubi ininterrupta integraque obvenit in natura ibi fractiones admissae peccata contra harmoniam naturalem sistunt. Ceteroquin seriebus specierum apud genera polymorpha in Stirpes naturales divisis, ut semper quidem feci, omne commodum generum diffractorum percipitur et series simul integrae servantur; systema eo modo imaginem potissime refert ipsius naturae, ad quod adtendit vera scientia.

Parisiis, die 15 Septembris, 1882.

Flora der Nebroden.

Von

Prof. P. Gabriel Strobl.

(Fortsetzung.)

Anth. secundiramea Biv. cent. II., Guss. Syn. et Herb.!, Bert. Fl. It., DC. Prodr., Rchb. 116 I., II., Gr. God. *maritima β. secundiramea* Presl Fl. Sic. Variirt in Sizilien mit und ohne Strahlen (v. *discoidea* Guss. Syn., non Gay!), mit mehr verdickten Blüthenstielen (letztere = var. *cossyrensis* Gss.), mit fast verkehrt eiförmigen, stumpfen bis lanzettlichen, spitzlichen Blattzipfeln.

An krautigen, sandigen oder steinigen Meerufern Siziliens,

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03642-0460-3

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1882

Band/Volume: 65

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam 451-458